



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Synopsis Magnalium Divi Josephi

Ignatius < a Sancto Francisco >

Leodii, 1684

Proëmium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500

retur Aureola particularis; & non iis,
qui innocentia servatā, totam vitam
in arctissimā tamen p̄cōnitentiā tradu-
xerunt? & sic de aliis.

XVIII. Dico secundò, sed eti cum com-
muni Theologorum choro sentientes,
admitteremus dari illas Aureolas par-
ticulares, nonnisi tamen valde im-
propriè essent in D. Iosepho: de dua-
bus, scilicet Martyrum & Doctorum,
constat: de Aureolâ verò Virginum,
eti propriissimè & sublimissimè inter
omnes homines post Sponsam suam
Virgo permanerit, quia tamen de il-
lis Virginibus, qui illâ Aureolâ insig-
niuntur dicitur, quod Agnum sequun-
tur, id est JESUM, quocumq; erit, Divus
autem Iosephus Agnum istū portavit,
non de illarum Virginum numero est,
sed trāscendit, quare valde impropriè,
nec ad Theologorum istorum men-
tem hæ tres Aureolæ Diyo Iose-

pho competunt.
Dico ergo tertio, nec etiam nece-
sarium est ad Divi Josephi gloriam eas
illi vindicare: quia eti Aureolæ istæ
dantur ad ornamentum particulare &
distinctum Sanctorum hujus & illius
classis ab aliis; Divus tamen Iosephus
ad hoc illis nequaquam indiget, quia
suâ gloriâ incomparabili fatis ab aliis
Sanctis quantumvis magnis distinctus
est: Cū enim sit, ut diximus extra
omnem comparationem, ita ut unum
ordinem cum Sponsâ suâ, & Christo
filio suo constituat, non eget alio or-
namento distinctivo: ipsius enim glo-
ria tota quanta est, cum sit extra om-
nem comparationem, & ponat eum
extra ordinem aliarum creaturarum,
cum sufficienter ab omnibus aliis dis-
cernit & separat, & sic tota ipsius glo-
ria, singularissima ipsi Aureola est,

TRACTATVS SECUNDUS.

DE CULTU SEU Invocatione Divi Josephi.

HIC à gloriâ internâ
Divi Josephi quam in
se habet, sensim dilabimur ad extermam,
quæ illi debetur & à
nobis ei defertur ra-
tione istius prioris, quâ in se Beatus
est: de quâ ejus gloriâ externâ, id est
Cultu, suppositis illis qua de Invocatione
Sanctorum in genere docent so-
lidissimè noster Thomas Waldensis,
Cardinalis Bellarminus & alii sine nu-
mero: Tria illi specialia hīc tractatum
imus. Primum, de ipso Cultu, id est de
illius ortu, progressu, & statu. Secun-
dum, de modo eum colendi. Tertiū, de
motivis. Igitur sit

CAPUT PRIMUM.

*Quid cause est quod cūm Di-
vus Josephus sit tantus,
tamdiu tamen latuit, eique
debitus ex meritorum cul-
mine honos tam tardè de-
latus?*

AUALE fuerit præteritis re-
trò saeculis in Ecclesiâ de Di-
vi Josephi vitâ beatâ silen-
tium, quis ignorat? egregia
illius facinora denso velamine operâ
fueré, alto pressa secreto ejus magnalia
summa